



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

An ex gratia saluari sine medio quis possit. tit.57

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

sim, Mat. 18. Sic Dauid 2. Reg. vlt. Petrus Matth. 26. exempla sunt recuperandæ gratiæ.

Quintò inquires: Paulus scribit i. Hebræor. 6. Impossibile est, eos qui semel illuminati sunt &c de illis loquitur, qui reiiciunt ex toto Euangelium & fidem, & ampliùs non auscultant, sicut Iulianus Apostata, Hymeneus, Alexander, Hermogenes, & tota Asia, 2. Timoth. 1. Sed aliud de his, qui non desperant, sed iterum redeunt ad fidem & gratiam. Maior est DEVS peccato totius mundi. Nemo igitur sequatur Cain, Genes. 4. qui dixit, Maior est iniquitas mea &cætera.

*AN EX GRATIA SALVARI  
sine medio quis possit.*

TITVLVS LVII.



Imò hoc certum est & infallibile, quod omnis qui saluatur, ex gratia Dei saluatur, dicente Apostolo Roman. 6. Gratia vel donum Dei vita æterna. Et Petrus Acto. 15. Gratia Domini nostri Iesu Christi credimus saluari. Nemo ergo vnquam ex suis operibus sine Christo saluatus est.

Secundò dicere, Volo & cupio vitam æternam propter Christum ex misericordia Dei, & non propter mea opera, iustitiam & merita &c. potest dupliciter dici & acceptari: Primò, cupio sine omni medio operum meorum, Sacramentorum &cæt. saluari, & sic abijcere omnia opera & media, & velle solùm propter Christum & eius sanguinem saluari, & dicere, opera susq; deq; curo, in Christo certus sum de salute &c. Hoc falsum, carnale & dånabile est, cõtra quos loquitur Christus & Apostoli, Mat. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine &c. Ad Tit. 1. Constitentur se nosse Deum, factis autem negant, hoc est per fidem tollere obe-

re obedientiam legis, quod Paulus prohibet, Rom. 3. Hæc est iam carnalis libertas, qua mundus abutitur, dicens: Credo in Christum, & omnia putant sibi licere: Abijciunt opera, & volunt sic esse salui per Christum etiam invito Christo, & præter eius mentem. Nulla obedientia est Catholicæ Ecclesiæ, Schisma plerique non putant peccatum. Est igitur hæc peruersa intentio. Si enim Christus sic sine medijs voluisset saluare peccatorem, ad quid fidem, dilectionem, Sacramenta, præcepta dedisset & docuisset? At inquis: Habeo fidem, & sufficit. Respond. Quid est fides sine operibus? nunquid opera tua sunt fides tua? Si hæc diuidis, id est, fidem & opera, nullum horum verum est. Dauid inquit Psal. 115. Credidi, idè locutus sum. Ergo fides tua nulla est, si non feceris quoque opera. Alio modo velle saluari per Christum, videlicet, per media, sed tamen non propter media, alia res est. Idè hoc est verum & Christianū. Sic docuit Christus Luc. 17. Cùm omnia feceritis, id est, hoc feceritis, quod debetis facere, tunc dicite, adhuc serui inutiles sumus. Tunc vult esse efficax ad saluandum gratia Christi, & sic adhuc per illa media cupimus propter Christi sanguinem saluari.

Tertiò, Christus recenset ordinē & verba iudicij futurum Mat. 25 non dicit, Venite & sitis salui, quia sperastis in meam misericordiam: sed, quoniam esuristis, & dedistis mihi manducare &c. At tamen quoniam non sunt condignæ passionibus Roman. 8. Idè semper gratia est causa salutis, sed hæc non distribuitur, nisi per media. At media non sunt merita, nec propter media, vt causa datur gratia, sed per media, vt instrumenta gratiæ, &c. Christus iubet denuò renasci, Ioan. 3. portare crucem suam, & illum sequi, Matth. 10. mori peccatis, & crucifigi veterem hominem, Rom. 6. Resurgere ad nouam vitam, Col. 3. Esse misericordem & iustum, Mat. 5. &c. Nisi quis in seipso hæc habuerit & fecerit,

fecerit, nihil proderit fides externa & litera aut passio Christi, nec capax erit Christi beneficij, qui huiusmodi medijs caruerit.

*SACRAMENTA QUID SINT.*

TITVLVS LVIII.

**S**ACRAMENTA sunt notanda. Primò, quid sint Sacramenta: Secundò, cur à Christo instituta: Tertiò, qui sunt fructus vtentium illis.

Primò, Sacramenta sunt sancta & certa signa fidei, nos reconciliatos esse cum Deo, & in gratiam eius restitutos esse, sicut circumcisio Abrahæ fuit signum & pactum gratiæ cum Deo, Gen. 12. Rom. 4. id est, quòd Deus recepit eum in gratiam & fauorem suum. Sic Baptismus est signum remissionis: confirmatio, signum est noui & firmioris consensus in fide Christi: Eucharistia, coniunctionis cum Christo: pœnitentiæ, reconciliationis &c. sicut magnus princeps dat inimico manum in signum amicitie & gratiæ &c. vnde inimicus iam scit se esse in gratia principis &c. Sic Sacramenta sunt signa reconciliationis, i. gratiæ.

Secundò, sunt à Deo instituta, quòd per illa tantquam media, vult distribuere promissam gratiã Christi credenti & pœnitenti. Non instituit vt elementa externa Sacramentorum de se iustificent, sed vt ipse per Elementa Spiritualem gratiam infundat animæ. sic aqua Baptismi non tollit peccatum, sed Christus, qui baptizat, Ioan. 1. Et fides pœnitentis apprehendit remissionem per hoc medium Sacramenti. Secundò instituit Sacramenta, vt homo per vsum illorum certus esset, se accepisse gratiam in Sacramentis promissam per Christum. Deus enim multa dona & gratias promisit se daturum propter fidem in Christum. Primò, remissionem peccatorum, Acto. 10. Secundò, Spiritum sanctum in robur: Rom. 8. Ipse Spiritus assistit Spiritui nostro in pugna fidei, Tertiò, Consolari per ver-